

*Super pauca fuisti fidelis,
intra in gaudium domini tui.*

✠ Lécitio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

25, 14-30

In illo témpore:

Dixit Iesus discíplis suis parábolam hanc:

¹⁴ «**H**omo pégre proficiscens
vocávit servos suos
et trádedit illis bona sua.

¹⁵ Et uni dedit quinque talénta,
álii autem duo,
álii vero unum,
unicuíque secúndum própriam virtútem,
et proféctus est.

Statim ¹⁶ ábiit, qui quinque talénta accéperat,
et operátus est in eis
et lucrátus est ália quinque;

¹⁷ simíliter qui duo accéperat,
lucrátus est ália duo.

¹⁸ Qui autem unum accéperat,
ábiens fodit in terra
et abscondit pecúniam dómini sui.

¹⁹ Post multum vero témporis
venit dóminus servórum illórum
et ponit ratióem cum eis.

²⁰ Et accédens, qui quinque talénta accéperat,
óbtulit ália quinque talénta dicens:
“Dómine, quinque talénta tradidísti mihi;
ecce ália quinque superlucrátus sum”.

²¹ Ait illi dóminus eius:

“Euge, serve bone et fidélis.
Super pauca fuísti fidélis;
supra multa te constítuam:
intra in gáudium dóm̄ini tui”.

²² Accéssit autem et qui duo talénta accéperat,
et ait:

“Dómine, duo talénta tradidísti mihi;
ecce ália duo lucrátus sum”.

²³ Ait illi dóm̄inus eius:

“Euge, serve bone et fidélis.
Super pauca fuísti fidélis;
supra multa te constítuam:
intra in gáudium dóm̄ini tui”.

²⁴ Accédens autem et qui unum taléntum accéperat,
ait:

“Dómine, novi te quia homo durus es:
metis, ubi non seminásti,
et cóngregas, ubi non sparsísti;

²⁵ et timens ábii et abscóndi taléntum tuum in terra.
Ecce habes, quod tuum est”.

²⁶ Respóndens autem dóm̄inus eius dixit ei:

“Serve male et piger!
Sciébas quia meto, ubi non seminávi,
et cóngrego, ubi non sparsi?”

²⁷ Opórtuit ergo te mittere pecúniam meam nummuláriis,
et véniens ego recepíssem, quod meum est cum usúra.

²⁸ Tóllite ítaque ab eo taléntum
et date ei, qui habet decem talénta:

²⁹ omni enim habénti dábitur, et abundábit;
ei autem, qui non habet,
et quod habet, auferétur ab eo.

³⁰ Et inútilem servum eícite in ténebras exterióres:
illic erit fletus et stridor déntium”».

Verbum Dóm̄ini.